

voit point de Courtisan en France se mêler de poësie et d'erudition, comme faisoit Wigbode. Absunt jam a Codice nostro haec Παεγγα, qui ita inchoat: *Primo omnium preceptor mi inquiri michi necesse est* &c. ubi noto, Interlocutores, qui in editis per D. et M. Discipulum nempe et Magistrum, distinguuntur, nobis per A. et H. designari. Editorum finis: *plenitudo enim legis caritas*, concurrat cum fine fol. nostri 54. a quo Inedita sic procedunt: *Adam vero cognovit uxorem suam. Ysidorus.*

Natiuitas duorum filiorum adam similitudinem habet duorum populorum &c. Codex vero totus abrupitur in *Quaestionibus L. Numer. C. 26.* his verbis: *aut propter duas uias actionis et contemplacionis ad eternam beatitudinem predestinantur.* Notantur item fol. 56. p. 2. de *Genesi* quaedam excidisse. Ceterum Libri singuli praeter *Genesim* praefixa habent *Quaestionum Summaria*, et saltem usui esse poterunt citatorum PP. Opera olim recensituris. Ad calcem coaeva manu adjecti Verficuli:

*Ne pudeat, que nescieris, te uelle doceri.
Scire aliquid laus est, crimen, nil discere uelle.
Instrue preceptis animum, ne discere cesses,
Namque datur longo sapientia temporis usu.*

Ad compingendum Codicem antierius adhibita est Membrana continens tribus columnis Fragmentum

Cantici hebraici luculente exarati hoc initio:

אל וכי יפקוד
מה אשיבנו :

CCCCXI.

U. 267 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 69. f. per duas columnas caractere atro luculento exaratus, rubricis conspicuus, et olim testamento Thomae nostri Haselbachii, ut frons testatur, delatus ad Collegium ducale Wienne apud fratres predicatorum ita orditur: *In nomine domini incipit Prologus Ven. Bede presbiteri in libros Salemonis.* Nota: in libros *Salemonis.* Est igitur Praefatio gene-

ralis in *Proverbia, Ecclesiasten, et Cantica*, quam cum nemo, quod sciam, memoret, cumque proluxa non fit, primus hic integram proferam. *Tribus nominibus uocatum fuisse salemonem scripture manifestissime docent. pacificum id est salemonem. et hydida id est dilectum domini. et quod nunc dicitur coeleth. i. ecclesiasten. Ecclesiastes autem greco sermone appellatur. qui cetum in ecclesiam congregat. quem nos nuncupare possumus concionatorem quod loquatur ad populum et*

ser-